

defenda tot christianorum miseria, qui cum noverint quam magna sit peccati malitia, quam gravia inferni supplicia, et quam intolerabilis poenarum æternitas, libere tamen omnibus se dedunt peccatis, nec de vitanda poenarum æternitate certant. O peccator, si sapias et si recte ratiocineris, ab omni peccatorum genere declinabis, pravos eradicabis habitus, occasiones peccandi fugies, ac pro posse conaberis, ut æterna et intolerabilia inferni supplicia devites: *cavendi sunt inferiores inferi, id est, post hanc vitam poenæ graviore* (S. Aug. de ver. relig., 52). Æternitatem ergo poenarum inferni crede, time, cave; *crede*, quia certa est; *time*, quia terribilis est; *devita*, quia intolerabilis est. Scio, quod si quæram ab aliquo etiam impio, an intoleranda inferni tormenta devitare velit; non est qui non dicat, ac serio protestetur, se toto cordis affectu ea declinare velle. At, o peccator, quid agis, ut ea declines? quid facis, et hæc supplicia devites? fugisne omne peccati genus? servasne fideliter Dei mandata? incumbisne poenitentiae operibus? vacasne humilitatis, patientiæ, charitatis, aliisque christianarum virtutum exercitiis? Heu! in numeris forte inquinata est anima tua peccatorum maculis; unicum forte contritionis actum numquam eliciisti; forte peccata tua nusquam debite confessus es; et forte non bonis, sed malis continue incumbis operibus. O peccator, si intolerabilem hanc æternitatem devitare velis, peccata mortalia devita, quæ poena plectuntur æterna; et poenitentiam age, quæ æternos inferni ignes extinguere valet: *gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet* (Tertull. de poenit.). Pro concionis istius conclusionem, velim solummodo ut præclara hæc D. Augustini verba mente revolvās; *aut in æternum bene, aut in æternum male*. O peccator, nullum datur medium inter duas has æternitates; nihil mediat inter æternitatem beatam, qua in celo fruuntur sancti, et æternitatem poenarum, quas in inferno reprobi patiuntur; una aut altera ex his duabus æternitatibus tibi necessario continget, oportet ut in æternum aut cœli gaudia possideas, aut inferni supplicia sustineas; *aut in æternum bene, aut in æternum male*. Vide nunc quid

malis, quamque ex his duabus æternitatibus eligas: *alterum e duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetuo letari cum sanctis*. Certe, si sapias, omnibus modis tibi possibilibus poenarum æternitatem vitare conaberis; quam si devites, æternitatem beatam infallibiliter assequeris. Amen.

 FERIA III POST DOMINICAM SECUNDAM.

DE SACERDOTIO.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei
(Matth. 24).

Sicut eminentissima est Sacerdotum dignitas: ita et sanctissima esse debet eorum vita. Sicut aliis eminent dignitate: ita etiam eminere debent sanctitate: ac, ut ait Salvianus: *Tanto Sacerdotes antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate: tantum eos excellere oportet merito, quantum gradu*. Ne arbitremini, charitatem, humilitatem, puritatem, aliasque virtutes a Sacerdotibus possideri debere in gradu remisso. Ne credatis, talem vitam, talesque solummodo esse debere Sacerdotum virtutes, quales laicorum: quid enim eminentius, et longe perfectius in Sacerdotibus, quam in aliis desideratur; ac sicut portentosa eorum est dignitas, ita et eorum vita, eorumque sanctitas admiranda, ac pene portentosa esse debet. Et ideo Sacerdotes vocantur *viri portendentes* (Zach. 3, 1), et portentosi; quia scilicet per eximiam suam sanctitatem reliquos homines obstupescere debent non minus quam si essent cœlestia quædam portenta, oculis omnium exposita, ut omnes in admirationem et stuporem rapiant. Eximia quidem sanctitate pollere debent omnes

Sacerdotes. Attamen sive sancti illi sint, sive peccatores, erga illos religiose nos habere, multaque eis præstare debemus. Quæ autem illa sint, et quomodo respectu illorum nos gerere teneamur, tota hac concione explicabimus. *Ave.*

Scribeat et Pharisæi, de quibus in hodierno Evangelio, sedebant, dicebant, et faciebant. *Sedebant* super cathedram Moysi, tamquam homines cæteris dignitate sua veneratorios; *dicebant* populis, et docebant quæ juxta Legem facienda erant; *faciebant*, non quæ aliis faciendi prædicabant, sed opera multa mala. Unde Christus ad faciendi, non quæ illi faciebant, sed quæ faciendi dicebant, hortabatur; *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere* (Matt. 23). Sicut autem Mosaicæ, ita et novæ Legis sacerdotes sedent, dicunt, et faciunt. *Sedent* quidem in gloriæ et honoris throno, quia ratione characteris et dignitatis suæ super alios homines sublimantur. *Dicunt* etiam, et ratione ministerii sui populis loquuntur, modo ut animarum pastores, modo ut concionatores in cathedra tonantes, modo ut iudices in sacro penitentia tribunalis sedentes. *Faciunt* tandem multa bona opera, quia vero homines sunt et infirmi, nonnumquam ad gravia peccata declinant. Si sacerdotes nostri super thronos sedeant, seu, si dignitate sua aliis emineant, eos venerari debemus; si in ministerii sui exercitio loquantur, verbis eorum debemus obtemperare; si tandem ex humana infirmitate in gravia scelera incidant, eorum ignominiam operire, illorumque peccata occultare debemus. Ecce quid sacerdotibus debeamus. Quod ut clarius et brevius proponam, dico, quod debeamus 1. Sacerdotes venerari; 2. verbis eorum obtemperare; 3. peccata illorum tegere.

I PARS.

Sacerdotes venerari debemus.

Apud omnes mundi nationes in magna semper veneratione habiti sunt sacerdotes. Apud Æthiopes ad solum regale non

sublimabantur, nisi qui sacerdotes erant; apud Persas nullus rex esse poterat, quin simul esset et sacerdos; apud Ægyptios majoris momenti controversiæ a sacerdotibus decidebantur; apud Athenienses famosi illius Areopagi senatus ex sacerdotibus componebatur; antiqui tandem romani, et omnes alii populi sacerdotes suos summe venerati sunt. Nec mirum, cum sacerdotalis dignitas tanta sit, ut regiæ, angelicæ, et divinæ comparetur: *regiæ*, quam non solum æquat, at superat; *angelicæ*, quam non solum attingit, verum et præit; *divinæ*, quam cum antecedere nequeat, eam tamen æmulatur. Et ideo sacerdotes venerari debemus; 1. plus quam terrenos reges, cum eos dignitate præeant; 2. plus quam angelos, cum dignitate sua angelis emineant; 3. ut deos, cum dignitate sua Deo similes videantur.

1. Falluntur, qui cum reges indutos purpura, aurea corona redimitos, innumeris stipatos militibus, et aulicis adorantibus circumdatos videant, eos aliis omnibus hominibus eminare censent; regia etenim dignitas sacerdotali subest, et minimi quique sacerdotes, maximos quosvis reges et imperatores dignitate sua præeunt: *Imperium*, ait Summus Pontifex Innocentius III, *non præest sacerdotio, sed subest* (Decretal. I). Cum reges magi antrum Bethlehemiticum Christum adoraturi adierunt, Deus stellam in viæ ducentem iis dedit: cum autem, adorato Christo, ad propria redire voluerunt, non stellam iis in viæ ducentem Deus dedit, sed Angelum, qui omnibus stellis longe nobilior est. Cur eis nobilior datur dux, cum ex antro Bethlehemico redeunt, quam cum ad illud se conferunt? Præclarum, nostroque proposito congruam hujus rei rationem adducit S. Chrysostomus dicens, magos fuisse solummodo reges, cum Bethlehem peterent; et fuisse sacerdotes cum a Bethlehem exirent, quia a Christo in sacerdotes fuerant consecrati (1).

(1) Ut patet ex verbis S. Doctoris, magi non realiter, sive caractere impresso, sacerdotes a Christo consecrati sunt, quamquam id fieri potuisset, nullo tamen scripture testimonio vel probabili ratione constat factum fuisse. Dicuntur autem magi Christum adorando effecti sacerdotes propter sacerdotum officium et personam, quam actibus suis iisque in adiunctis, Deo sic dispo-

et ideo nobilior iis a Bethlehem redeuntibus dux datus est, quia sacerdotalis dignitas qua tunc fulgebant, regia longe eminentior est: *nec jam stella eos, sed Angelus suscipit* (hom. in Math.): *quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes*. Si sanctorum Patrum dictis probare vellem sacerdotalē dignitatem regię anteire, hic advocarem sanctum Ambrosium, qui in capite secundo libri, quem de sacerdotali dignitate conscripsit, expresse ait, quod *dignitas sacerdotalis multo excellentior est, quam regum et principum*. Possem et hic adducere sancti Chrysostomi verba dicentis, quod *sacerdotium principatus est ipso etiā regno venerabilius ac majus* (hom. 5 in C. 5 Is.). Mihi tandem facillimum esset innumeras alias sanctorum Patrum hic referre auctoritates, quibus constaret eos omnes, nullo excepto, docere, quod sacerdotalis dignitas regali antecellat. Verum ad quid tot verba, totque sententias congererem, cum ipsa ratio luce clarius manifestet, regię sacerdotalē dignitatem longe anteire? Et revera, quid in rege magnum, quod in sacerdote majus non sit? In regibus admiramur magnam illam potestatem qua preediti sunt, quæ nonnunquam ad plurimas provincias, et ad longe distantes terræ partes protenditur: at Sacerdotum potestas omnes universæ terræ terminos prætergreditur, ac usque ad cœlestē regnum, necnon usque ad portas inferi dilatatur. Reges corporibus dominantur, sacerdotes animis. Reges politicas et civiles promulgant leges:

nente, sustinerunt. Ipsi enim: 1^o omnes ex gentilitate nationes repræsentarunt in Christo vix nato adorando; 2^o mystica manera obtulerunt, quæ optime congruerent Divinæ Personæ cui offerbantur, ac veluti omnium spiritualium oblationum, quæ Deo debentur, perfecta simbola extarent; 3^o deum mandatum interius accepisse recte credimus, Christi adventum concivibus nuntiandi, vel saltem evangelicis prædicatoribus viam sternendi. Quæ tria officia quis non videt veri sacerdotii propria esse? Etsi vero non consecratione sed officio tantum sacerdotis effecti fuerint magi, qua ratione omnes fideles aequaliter sacerdotes dicuntur, et *regale sacerdotium* in S. Scriptura Christi plebs consistat, tamen non deficit argumentatio auctoris, quæ scilicet a minori ad majus fit gradus: hæc autem sic se habet: si tantus honor est a Deo impensus hominibus nuncupatione tantum et officio sacerdotibus, quæ reverentia prosequi oportet eos, qui caractere simul et minore sacerdotes sunt? N. E.

sacerdotes vero canonicas et ecclesiasticas ad animarum regimen leges instituunt. Multos auri et argenti thesauros congregare solent reges: sacerdotes longe præstantiores divinæ gratiæ thesaurus in manibus suis habent. Reges ad beneplacitum suum plebejos nobilitant: sacerdotes ad filiorum Dei nobilitatem ingratos peccatores sublimant. Adversus terrenas potestates beligerare solent reges: sacerdotes vero aëreas et tartareas debellare docent. Reges nonnunquam aliquos homines in captivitatem redigunt: sacerdotes vero ipsos etiam reges a demonis et peccati captivitate liberant. Regibus obediunt homines: sacerdotibus quasi obtemperat ipse Christus, qui, mox ut a sacerdote proferuntur hæc verba, *Hoc est corpus meum*, a summo cœlo descendit, et Eucharistico Pani se præsentem exhibet. O magnam sacerdotum dignitatem! quæ quidem regię longe antecellit: ideo cum sacerdotes regibus dignitate præeant, eos etiam præ omnibus terræ regibus venerari debemus: præcipit Deus, ut reges veneremur: *Deum time, regem honorificate* (1. Petr. 2, 27): sacerdotes vero majori honore et reverentia prosequendi sunt; quia omnes reges dignitate sua antecedunt; et non solum terrenos reges, *verum et ipsos Angelos*.

2. In Libro Apocalypseos dicitur, quod cum Angelum Ioannes adorare voluerit, id pati noluit Angelus, dicens: *vide ne feceris, conseruus tuus sum* (Apoc. 19, 10). Cur se a Ioanne adorari prohibuit Angelus? propter dignitatem utique sacerdotalem, quæ angelica eminentior est: indecens enim visum est Angelo, ut Ioannes, qui ob sacerdotalem dignitatem Christum Angelorum regem manibus suis gestare solitus erat, Angeli unius pedibus prosterneretur. Non sine admiratione in Sacra Scriptura legi Angelos in cœlo coram Deo stare, sacerdotes vero cum Deo sedente sedere. Angeli quidem in cœlo more famulantium coram Deo stare dicuntur: de Seraphinis enim ait Isaias, quod ante Deum stent: *Seraphim stabant*: de aliis Angelis legitur apud Danielem, quod *centena millia assistebant ei*; scimus etiam Archangelum Raphaelē declarasse, se cum nonnullis aliis ante Deum stare; *ego sum Raphael Angelus unus ex*

septem qui adstantus ante Dominum. His et aliis Sacræ Scripturæ locis Angelos in cœlo stare constat; sacerdotes vero ibi non stant, sed sedent; de Apostolis enim, qui sacerdotali characterē erant insigniti, dicitur, quod cum Christo sedente sedebunt; cum sederit Filius Hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim (Matt. 19). Cur, queso, stantibus coram Deo Angelis, sedent sacerdotes, nisi quia sacerdotes dignitate sua eis antecellunt? Quod ut non sine ratione dictum creditur, Angelos cum sacerdotibus conferamus, istorumque supra alios multas prærogativas adnotemus. Angeli omnes sunt administratorii spiritus, qui Dei præceptis obtemperant, et faciunt verbum ejus; sacerdotibus vero ipse Deus quasi obedit, et verbis sacramentalibus a sacerdote prolati ipse Christus obtemperat. Stant, ut diximus, in cœlo Angeli, dum sacerdotes sedent; stant illi coram Dei throno, et isti ad Dei mensam accumbentes, panē Angelorum vescuntur. Si Angeli cœlos et elementa gubernent: sacerdotes Ecclesiam moderantur et animas: si Angeli globos cœlestes movere valeant, hominibus cœli et paradisi portas sacerdotes aperiunt: si Angeli a Deo ad homines purgandos, illuminandos, et perficiendos mittantur, iidem homines a sacerdotibus per Sacramenta purgantur, concionibus illuminantur, et orationibus perficiuntur. Quid plura? Sacerdotes potestatem habent ligandi et solvendi peccata, quod non possunt Angeli: sacerdotibus data est potestas consecrandi, et Christum sub speciebus Eucharisticis collocandi, qua potestate Angeli carent: sacerdotes tandem in die iudicii judicantes sedebunt, dum a sacerdotibus iudicandi stabunt Angeli: *nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* (1. Cor. 6). Videte ergo quanta præ Angelis dignitate sacerdotes polleant: videte quantum præ illis emineant, ac identidem eos præ Angelis veneramini, quia tanto quis majore honore dignior, quanto præ aliis eminentior: et ideo cum sacerdotes Angelis dignitate præeant, majori honore ab hominibus prosequendi sunt sacerdotes, quam Angeli: ad hæc sacerdotes sunt etiam maxime honorandi, *quia dignitate sua Deo assimilantur.*

3. Sacerdotalem dignitatem cum divina conferre, et sacerdotes deos vocare pertimescerem, ni eos in Sacra Scriptura sæpe deos dici certo scirem. Sacerdotes enim sunt dii quibus detrachere Deus prohibet: *dīs non detrahes*; ut explicat summus Pontifex Innocentius tertius: *Sacerdotibus non detrahes* (Exod. 22, 27). Et revera Deus Jovi, Apollini, Mercurio, aliisque falsis diis detrachere non vetat, sed sacerdotibus, qui veluti dii sunt in terra, quique dignitate sua divinam æmulantur, ac, ut ait S. Gregorius Taumaturgus: *Sacerdos deus est alioque deos efficit.* Deus est non re, sed participatione, quia divinam dignitatem aliquo modo participat. De sacerdotibus loquens Propheta, ait: *ego dixi, dii estis.* Quæ Davidis verba exponens Innocentius Papa: *per deos, inquit, sacerdotes, intelligit, qui per excellentiam ordinis, et officii dignitatem, deorum nomine nuncupantur.* Innocentio consentit cardinalis Petrus Damianus, dicens: *dii dicuntur sacerdotes, propter accepti ministerii sacramentum.* Idem propheta Deum in medio deorum stetitisse ait: *Deus stetit in Synagoga deorum* (Ps. 81). Quomodo in medio deorum stare potest Deus, cum ipse solus Deus sit, nec alius præter eum Deus esse possit? Verum quidem, quod Deus unicus sit, nec plures dii esse possint: sacerdotes tamen vocantur dii ratione officii, ratione potestatis et dignitatis suæ, quæ divinam æmulantur. Unde, inquit S. Augustinus, Deus dicitur stetitisse in medio deorum, id est *in medio Sacerdotum*, qui dignitate sua quasi dii sunt in terra. Eos ut deos inspiciebat Constantinus Magnus, de quo in sacro Canone fertur, quod cum ei nonnullæ contra sacerdotes scripto oblatae fuissent accusationes, libellos quidem accusationis accepit, sed vocatis iis, adversus quos dati erant, in eorum spectu libellos quos acceperat, flammis iniecit, memorabilia hæc profertur verba: *vos dii estis a vero Deo constituti, ite et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut nos iudicemus deos.* Non despiciebat sacerdotes Constantinus, vilibus eos officio non addebatur, ut plerique nobilium facere solent: eos ut deos intuebatur et venerabatur; eos similiter quisque vestrum plus quam reges,

plus quam angelos, et ut deos venerari debet. At si sacerdotes sunt honorandi, *eorum etiam verbis obtemperandum est.*

II PARS.

Sacerdotum verbis obtemperare debemus.

Sacerdotes populo christiano loquuntur, aut ut pastores, aut ut concionatores, aut ut iudices. *Loquuntur ut pastores* in Ecclesiis ubi præsunt, cum fideles quæ facienda, et quæ vitanda sunt, docent: *loquuntur ut concionatores*, cum verbum Dei prædicant: *et loquuntur ut iudices*, cum in sacro poenitentiae tribunali, absolutionis vel condemnationis sententias dicunt. Sacerdotum autem verbis obtemperare debemus: 1. cum loquuntur ut pastores; 2. cum loquuntur ut concionatores; 3. cum loquuntur ut iudices.

1. Plus credunt homines factis, quam dictis: et error hic apud fideles invaluit, quod ea potius faciant, quæ a pastoribus fiunt, quam quæ ab iis facienda esse audiunt. Cum pastor quidam, ut officio suo satisfaciat, justam et piam aliquam ad fidelium salutem legem instituit, mox quisque inspicit an pastor id faciat, quod aliis faciendum proponit, et an opera ejus cum verbis concordent. At fidelibus non præcipitur ut videant pastorum suorum actiones, utrum bonæ aut malæ sint; non aspiciere debent quid faciant, sed quid dicant; non curiose scrutanda eorum opera, sed humiliter audienda illorum verba, iisque religiose obtemperandum, quoties non vana, non inutilia, non mala, nec legi Dei repugnantia, sed ad salutem utilia docent. Ex Scribis et Phariseis multi erant sacerdotes et levitæ, qui pessime vivebant, cum essent hypocritæ, superbi, ambitiosi, dilatantes phylacteria sua, onera importabilia aliorum humeris imponentes, et opera sua ut ab hominibus viderentur facientes. Primævis tamen Christianis præcepit Christus, ut pessimorum illorum Sacerdotum verbis obedirent: *omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum o-*

pera vero eorum nolite facere. Noluit Salvator, ut fideles Scribarum et Phariseorum mala opera intuerentur, et imitarentur; sed quod eorum verbis parerent. Similiter hujusce ævi Christiani sacerdotum et pastorum suorum opera mala scrutari non debent, potius eorum verbis accurate et religiose obtemperare tenentur, cum quæ salutis sunt, præcipiunt: *quæcumque dixerint, vobis facite.* Non veneramus crucem, quia argentea vel aurea est, sed quia crux est, seu quia Christi crucifixi figura est. Sic sacerdotum, qui pastores nostri sunt, verbis obedire debemus, non quia pastores sancti, pii, vel docti sunt, verum quia pastores nostri sunt a Deo missi, ut viam et scientiam salutis nos doceant. Et ideo non inspicendum, an hi boni vel mali sint, an bona vel mala sint eorum opera; humiliter audiendi sunt, et verbis eorum est fideliter obtemperandum. Cum dicunt aliena restituenda, cuique suum tribuendum esse, Deum colendum, et parentes honorandos; non inspicendum, an illi hoc faciant, tantum hæc accurate facienda sunt. Cum ex Lege divina, vel ecclesiastica dicunt, abstinendum a carnibus, a furto, a rapina, et aliis quibusque vitiis; non intuumdum, an hi ab hujusmodi abstineant, verum ab iis abstinendum; ac omnia facienda sunt, quæ ad salutem faciendam proponunt: *quæcumque dixerint vobis, facite.* Præclare dicebat Diogenes, sacerdotes similes esse citharæ. Cum suaviter pulsatur cithara, attento animo harmoniam ejus audis, nec inspicis an ipsa aures habeat ad audiendum jucundum hunc sonum quem edit: ad hujus etiam citharæ sonum nonnunquam saltas, et choreas ducis; nec curas an ipsa cithara saltet, vel non saltet. Eodem prorsus modo quisque se gerere debet respectu sacerdotum et pastorum qui viam Dei docent: hi sunt quasi citharæ, quæ a Deo coram nobis pulsantur: quare audiendi sunt, eorumque verbis obediendum: non inspicendum an illi faciant quæ ipsi facienda dicunt; ea a nobis facienda, quæ ipsi facienda proponunt; *quæcumque dixerint vobis, facite.* Non enim præcepit Deus ut ea faceremus quæ sacerdotes faciunt, sed ut quæ dicuntur faciamus: *quæcumque dixerint vobis, servate, et facite; secun-*

dum opera vero eorum nolite facere. Ergo sacerdotibus, qui ut pastores vestri, docent vos viam salutis, humiliter obedite eaque facite quæ facienda dicunt. *At obediendum etiam sacerdotibus qui in cathedra loquuntur, ut concionatores.*

2. Certum est, concionatores non tam dictis docere debere, quam factis; quia facilis quisque ad pietatem instituitur per exempla, quam per documenta. Exempla enim videntur, et verba audiuntur: signis autem ad pietatem animos excitant, quæ auribus percipiuntur, quam quæ oculis subjiciuntur. Esto tamen aliquando sacerdotum prædicantium vita sit minus recta; esto quod plurimis et gravibus vitiis dediti sint; non inspicendum quæ et qualis sit eorum vita; non scrutandi eorum mores, non scrutanda eorum opera, sed audienda eorum verba; idque faciendum, quod ipsi faciendum proponunt. Non enim dixit Christus, beatos fore illos qui sacerdotes imitantur, et qui ea faciunt quæ et ipsi faciunt; eos beatos declarat, qui sacerdotes concionantes humiliter audiunt, et eorum verbis fideliter obtemperant: *beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* O frater, non habeas oculos ut videas malum; non intuearis, quibus imperfectionibus, quibusque vitiis obnoxius sit prædicator, qui ex cathedra verbum Dei populo annuntiat; non inspicias, an ille bonus vel malus sit; bona quæ profert verba, attente audi, eiusque dictis, quantum fas erit, obtempera. Cum prædicator aliena restituenda dicit, propriis dominis quæcumque inique detines, cito restitue; cum inimico parcendum prædicat, inimicis tuis ex corde indulge: cum a perjurio, a detractioe, a murmuratione, et ab aliis vitiis abstinendum annuntiat, ab iis abstine: fac tandem quidquid faciendum dicunt sacerdotes, et æternam beatitudinem assequeris: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Diversos sibi fines proponunt, qui ad Ecclesiam verbum Dei audituri se conferunt. *Aliqui* eo feruntur spiritu vanitatis, hi scilicet qui concioni adsunt, ut pii censeantur. *Alii* eo ducuntur curiositatis spiritu, ut scilicet sciant, an concinator doctus sit vel ignarus, an ingeniosus vel minus sapiens, an elo-

quentiæ sacræ regulas calleat vel ignoret. *Alii* concionatores audiunt, ut verba illorum carpant et reprehendant. *Alii* ex consuetudine, et ut tempus terant: alio autem fine concionatores audiendi sunt, nempe ut ea faciamus et opere impleamus quæ facienda, et opere implenda esse docent. *Scopus Christianæ Religionis est, ut quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus* (S. Aug. ho. 8 in Evangel.). Si audis quæ prædicator dicit, et non facis quæ facienda dicit, facis contra Dei intentionem: et sic eum audire, parum aut nihil tibi proderit: si autem postquam prædicatorem audivisti, ea facis quæ facienda prædicaverit, scopum habes prædicationis, multumque referes fructum, quia *beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Obtempera ergo sacerdoti, cum ex cathedra verbum Dei annuntiat. *Sed obtemperandum etiam sacerdoti, cum in sacro poenitentiae tribunali loquitur ut iudex.*

3. Sacerdos in sacro poenitentiae tribunali sedet ut iudex conscientiarum, ibique de negotiis cœlestibus pronuntiandi habet auctoritatem; et sententiæ quas in hoc tribunali dicit, in cœlo approbantur. *Sacerdos*, inquit Chrysostomus (Hom. 86 in Joan.), *iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, quidquid sacerdos in inferioribus iudicat, hoc Christus in superioribus comprobat.* Portentosa duo privilegia Christus sacerdotibus dedit: primum respectu sanctissimi Missæ sacrificii, et consecrationis: sacerdos enim vi verborum consecrationis Christum Salvatorem sub speciebus eucharisticis adducit, vel producit, ita ut prolatis verbis, sub his speciebus sit vero et realiter Christus ipse idem, qui in cœlo sedet ad dexteram Patris. Quod privilegium non satis admirari potest D. Augustinus, dicens: *Super hoc tam insigni privilegio stupet cœlum, miratur terra, veretur homo, terretur infernus, contremiscit diabolus, et venerantur Angelorum chori. Uno eodemque modo idem Deus, qui præsidet in cœlo, in manibus vestris est in Sacramento altaris* (in Ps. 7). Secundum privilegium, a Christo Sacerdotibus datum respicit poenitentiae sacramentum et tribunal poenitentiale, in quo a Christo constituti sunt iudices, eisque data est potestas ligandi et solvendi. In hoc enim tribunali sedentes, potestas

tem habent solvendi peccatores criminum vinculis constrictos; et potestatem etiam habent ligandi eos ad faciendam penitentiam, quam iis imponunt, et ad agenda quæ iuxta Dei et Ecclesie leges facienda judicant. Propterea cum ad sacrum penitentiae tribunal accedimus, eorum verbis obtemperare, illorumque iudicio parere debemus. O christiane, cum peccata tua sacerdoti confessario declarasti, ejus verba humiliter audire, ejusque consiliis obtemperare debes. Si salutarem tibi injungat penitentiam, si aliena restituenda, eradicandos pravos habitus, vitandas peccandi occasionem, et alia ad remissionem peccatorum, ad morum correctionem, et ad salutem necessaria dicat, ei fideliter obtemperare teneris. Si etenim volebat Christus, ut executioni mandarentur omnia, quæ a Scribis et Phariseis præcipiebantur, dicens: *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate, et facite*; quanto magis vult, ut omnia faciamus, quæ ut saluti necessaria, a sacerdotibus in penitentiae tribunali sedentibus, præscribuntur. Obedite ergo sacerdotibus, quos in spiritualibus Deus vobis proposuit, *obedite prepositis vestris* (Heb. 13, 17). Obedite sacerdotibus, sive ut pastores, sive ut concionatores, sive ut iudices loquantur. At non solum obtemperandum verbis sacerdotum; *verum et eorum occultanda sunt peccata.*

III PARS.

Sacerdotum peccata tegere debemus.

Multi ex Scribis et Phariseis, sacerdotali dignitate fulgebant: at præcelsam hanc dignitatem criminibus suis fœdabant. Hi sacerdotes erant Deo consecrati; erant autem et homines sceleribus plurimis inquinati. Hi gradus dignitatem cum vitæ indignitate in semetipsis simul jungebant: primos enim amabant accubitus in cœnis; rabbi vocari volebant; hominum quos decipiebant, sectabantur applausum, popularem auram ambiebant, non Deo, sed hominibus placere studebant; avaritia tan-

dem, hypocrisi, aliisque multis criminibus contaminati erant; et ideo maledictione eos crebro ferit Christus, dicens; *vae vobis hypocritæ.* Non minori quidem maledictione digni sunt novæ Legis sacerdotes qui in similia peccata incidunt; eosque sæpe, etiam in hoc mundo, gravissimis Deus plectit suppliciis; eorum tamen crimina ab hominibus revelari non vult, verum summa cura celari, et charitatis christianæ pallio velari. Apud licentioris vitæ homines mos invaluit, ut sacerdotum mores carpant, et vitam insectentur; inter epulas et mundi illecebras, cum nil aliud habent quod dicant, sacerdotis alicujus famam dilaniant. Prohibet Deus, ne quis sacerdotibus detrahat: *diis non detrahes*; et hi obsequium putant præstare Deo, cum culpas sacerdotum manifestant, augment, et aggravant: imo et nunquam sanctissimos et innoxios sacerdotes denigrare contendunt, eosque hypocrisis, et aliorum criminum reos esse dicunt. At non solum falsi criminis non sunt lacessendi sacerdotes, verum et quæcumque ab iis commissa peccata, quantum fieri potest, sunt occultanda, et sub silentio prætereunda. Quod præclare Deus docuit in Libro Levitici, ubi dicitur, quod cum filii Aaron alienum ignem obtulissent, ab igne sanctuarii devorati sint. *Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribus, posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, decorabit eos, et mortui sunt coram Domino.* Duo in hoc facto miranda, et notata digna mihi occurrunt: *primum*, quod Deus nunquam manifestavit quale fuerit Nadab et Abiu peccatum: *secundum*, quod licet duo illi Aaron filii ab igne sanctuarii cremati fuerint, lineum tamen amiculum, seu superpelliceum quo induebantur, crematum non fuit. Cur Deus peccata eorum tacuit, et cur iis ab igne devoratis, intactum remanere voluit superpelliceum? Eorum peccata Deus tacuit, ut doceat, tacenda et tegenda esse sacerdotum peccata; Deus etiam voluit intactum et integrum remanere superpelliceum, quo induti erant, ut ostendat, sacerdotum peccata charitatis velo esse operienda, et occultanda. Hoc ergo exemplo discite non promulganda et proclamanda

esse sacerdotum crimina, sed reticenda, excusanda, et pro vitibus tegenda.

Mirabile est, quomodo se gesserit Christus erga sacerdotes illos, qui mulierem in adulterio deprehensam ei adduxerunt, ut ab eo scirent quo supplicio plectenda esset: ipse enim, inquit sacer Textus, coram sacerdotibus mulierem accusantibus, digito aliquid scripsit in terra; *Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra* (Joan. 8). Cum autem hi semper perseverarent; interrogantes eum: *iterum se inclinans, scribebat in terra*. Quid in terra scribebat Christus? Asserunt multi ex Sacræ Scripturæ interpretibus, eum scripsisse peccata sacerdotum qui mulierem accusabant: ut videntes hi majora et graviora esse sua, quam mulieris peccata, non tam sollicito et importune ejus condemnationem postularent, ac potius suorum conscii peccatorum, ejus misererentur, illique parcerent, cum se majoribus suppliciis dignos adverterent. Posito autem, quod Christus sacerdotum peccata scripserit, cur non ea in aere, vel marmore incidere, sed in terra scribere voluit? Ratio est, quia si ea marmoreo cuidam parieti, vel aereæ laminæ incidisset, a cunctis videri potuissent, et diu hominibus manifesta fuissent. Non ergo ea marmori, vel aeri incidit in terra scripsit, ut cito quod scripserat, deleteretur, et ut doceret nos sacerdotum peccata non esse manifestanda, verum tegenda, et quasi in terra sepienda. In veteri testamento jussit Deus, ut vitulus pro Pontificis peccato oblati, totus cum pelle combureretur, non in altari, sed extra castra et in loco mundo: *pellem vero et omnes carnes cum capite et pedibus et intestinis et fimo et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea*. Cur vitulus hic pro Pontificis peccato oblati, totus comburitur? Cur non in altari, sed extra castra? Cur, in loco mundo? Hæc omnia fiebant, ut significaretur, sacerdotum peccata non esse propalanda, nec in publicum jactanda; nec in locis immundis, id est, in detractorum conventiculis, a maledicis et profanis linguis ventilanda; at curandum esse ut taceantur, charitatis igne consumantur, ac perpetuo silentio contegantur.

Propter eandem rationem revelare noluit Christus, quis esset ille proditor, a quo inimicis suis ad mortem tradendus erat. Cum enim Apostolis dixisset, se ab uno eorum esse prodendum: *Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*, scire voluit Petrus, quis esset ille proditor, et ideo discipulum quem diligebat Christus rogavit, ut ab eo peteret, quis ille esset? a Christo hoc petit Joannes: cui quidem hoc mysterium revelavit Magister, clam tamen et in aere, sub verbis ita obscuris, ut alii Apostoli non cognoverint, quis futurus esset ille proditor. Cur Christus non manifestat omnibus iniquum hunc proditorem? Cur non illum coram omnibus objurat? Cur ei tantam ingratitude, et tam immane scelus non exprimat? Cur ingrati Apostoli crimen non revelat, ut seipsum a morte liberet? Cur tunc saltem discipulis suis non aperit Judæ proditorem, quæ intra paucas horas omnibus manifestari, et nota fieri debet? Hoc agit Christus, ut exemplo suo doceat non propalanda, sed occultanda sacerdotum scelera, licet nobis noxia sint, licet eorum manifestatione a gravibus suppliciis, et ab ipsa morte liberari possimus, licet tandem illa ab aliis intra breve tempus publica et notoria fieri debeant.

Et revera, si detractio grave est peccatum, etiamsi in laicum fiat: quanto gravius est, cum fit in sacerdotem, qui Dei obsequio consecratus est, qui Deo placabilia offert sacrificia, et qui mediatoris munere inter Deum et hominem fungitur? Si, ut ait D. Paulus, *detractores Deo odibiles*, etiam cum vilibus quibusque hominibus detrahunt, quanto majori odio prosequatur Deus eos, qui hominibus illis qui sacerdotes sunt, qui Dei ministri sunt, qui sacra hominibus administrant, et qui supra cæteros homines dignitate sua sublimati sunt, detrahere præsumunt? Si tandem maledicti, qui quorumcumque hominum famam denigrant, regnum Dei non obtinebunt: *nec rapaces, nec maledicti regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6, 10), quanto minus illud assequantur, qui sacerdotum peccata propalant, et famam dilacerant. Propter has et alias multas rationes occultanda sunt sacerdotum peccata; atque occultari potissimum debent, ne ex eorum manifestatione audientibus detur occasio

ruinæ. Cum enim quis sacerdotum propalat peccata, dicere solet, qui hæc audiunt: si hoc et illud faciat sacerdos, cur ego id non agam? Si indictis ab Ecclesia diebus ille non jejundet, cur ego jejunabo? Si scrurrilia et mundana ille proferat, cur et ego similia proferre timebo? Si ille epulari, choreizare, et vino indulgere diligit, cur et ego eadem non amabo? Credunt, se jus habere ea faciendi, quæ a sacerdotibus fieri discunt, licet hæc mala sint. Hac de causa non manifestanda, imo sollicitè tegenda sunt sacerdotum peccata, ne aliis sint in scandalum et in ruinæ occasionem. Mementote, sacerdotes, cum homines sint, non esse impeccabiles: homines sunt sicut alii, et ideo peccare possunt sicut alii. Heu! si peccaverunt Angeli in paradiso, et aliqui Apostoli in Christi domo, quid mirum, si in aliqua peccata nonnulli sacerdotes cadant? peccant hi, sicut alii; et longe graviora eorum, quam aliorum hominum sunt peccata: jamvero quantumvis gravia sint, tegenda sunt, et charitatis christianæ velo obtegenda. Imitandus est magnus ille Imperator Constantinus, de quo legitur, quod cum sacerdotum Concilium in Ecclesia convocasset, primum locum occupare noluerit, sed in novissimo loco sederit. Sententias vero, quas a sacerdotibus approbatas audivit, ita veneratus est ac si eas de divinæ majestatis censuisset emanasse judicio. Cumque quis crimina a nonnullis Sacerdotibus perpetrata objicere voluerit, præclare respondit Constantinus: *Si forte episcopum invenissem cum femina jacentem, purpura imperiali exutus, illum cooperirem, ne peccatum illius quoquo modo posset sciri.* Sanctum hunc imitami imperatorem, vel cum sancto Hieronymo quisque vestrum dicat: *non est humilitatis meæ de ministris Ecclesiarum sinistrum quippiam dicere; habent illi ordinem suum et gradum.* Hoc dicite, et hoc facite; sacerdotes honorate, iis obedite, nilque sinistrum de iis loquamini, at eorum tegite peccata: Deusque vestra occultabit, dabitque gratiam, qua æterna beatitudine digni fiat. Amen.

FERIA IV POST DOMINICAM SECUNDAM.

DE FILIORUM EDUCATIONE.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo (Matth. 20).

Quemadmodum nihil tam ferum, nilque a divina lege tam alienum, quam si non amandos dicamus filios; ita et nil tam exitiosum, quam si carnali, profano et mortifero eos amore prosequendos astruamus. Talia proferre haud licet christiano orator; e contra parentibus liberos amare suadebit eo modo, quo Deus ipse constituit, neque enim est ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipsos filios dedit. Parentes autem non docet Deus ita filios diligere, ut graves aureo metallo saccos, et ingentes pecuniarum thesauros iis congregent; non ita, ut cum animæ suæ dispendio superbas ac præminentes excelsis in urbibus domos hereditate possidendas relinquunt: non ita, ut cum salutis suæ jactura, eos ad altiores sæculi dignitates evehere, necnon temporalibus et perituris eos bonis ditare contendant; potius sic eos diligere vult, ut a teneris annis, bonis moribus imbuant, et recte instituant: *educate illos in disciplina et correptione Domini* (Ephes. 6, 4). Sic, o patres et matres, sic vestri a vobis diligendi filii. Si eos vere ametis, tanto ad eos ditandos non incumbetis affectu; verum eorum institutioni summa cura invigilabit; nil enim bona educatione pretiosius, nil eis utilius præstare valetis: *non ad conquirenda terrena et peritura distendatis; nil bona educatione majus præstare filiis potes* (Salvian. lib. 1 ad Eccles. Cath.). Parentum plerique filios amant, sicut mater illa ambitiosa, quæ filios suos ad altiores regni sedes sublimari postulabat: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Ast non tam divitiæ, honores et

dignitates, quam bona educatio est filiis optanda et procuranda. Quid agere debeant parentes, ut filios debite instituant, ista docebit concio. *Ave.*

Juvenes plerumque sunt ad malum proclives, ignari et ad virtutum exercitia tardi: ideo ad eorum institutionem parentes virgam, verba et bona exempla adhibere debent; *virgam*, ut eos ad perversa declinantes corrigant; *verba*, ut eos ignorantia tenebris involutos illuminent; *bona exempla*, ut eos ad bona opera perficienda excitent. Parentes respectu filiorum habere se debent ut iudices, ut præceptores, et ut christianos; *ut iudices* sapientes, qui eos magna cum discretionem et prudentiam corripiant; *ut præceptores* doctos et pios, qui eos fidei principia, Dei amorem, et salutis viam doceant; *ut christianos* pietate fulgentes, qui virtutis, innocentia et sanctitatis exempla eis exhibeant. *Discreta correctione*, filii ad declinandum a malo excitabuntur; *documentis et instructionibus* opera bona facere, et Deo fideliter servire discent; *bonis exemplis* ad recte et christiane vivendum allicientur. Itaque parentes, ut filios bene instituant, debent eos: 1. corripere; 2. erudire; 3. bonis exemplis fovete. Correctio, eruditio, et bona exempla; en tria ad debitam filiorum educationem a parentibus adhibenda.

I PARS.

Parentes debent filios corripere.

Matres, quæ plerumque stulto et molli filios amore prosequantur, eos peccantes corripere et plecti ægre patiuntur, cum tamen ad debitam eorum institutionem nil efficacius, nil utilius, quam opportuna correctio vix dum ad peccata declinare cernuntur. Quod aperte et expresse docet divus Paulus, qui postquam parentes de filiis bene educandis monuit, qualiter eos educare debeant, declarat dicens, eos corripiendos esse cum

adversus Deum peccant: *educate illos in disciplina et correptione Domini* (Ephes. 6). Filius tibi est, qui vix balbutiens, blasphema vel scurrilia, vel procacia verba profert; qui pravorum se consortio immiscet, qui loca adit, in quibus infelici naufragio exposita est ejus innocentia, admone illum suaviter; si autem salutaribus tuis monitis non annuat, corripe illum acriter; et ut eum a via damnationis avertas, virgam et flagella adhibe. Filiam habes, quæ verborum lenociniis permulceri amat; quæ amasiurum societatem non fugit; quæ cum ad templum pietatis causa se conferre fingat, illic ludendi, ridendi, vel aliud quidquam minus rectum agendi gratia se confert? hortare illum primo suaviter; si suavi tua correptione non proficiat, corripe illum severe; post verba, si necesse sit, adhibe verbera, ut illam a peccandi periculo retrahas, et ad salutis viam dirigas: *educate illos in disciplina et correptione Domini*. Heu! si divino præcepto tenentur omnes penitus homines ad corripiendos eos, qui coram ipsis peccant: *si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* (Matth. 18, 15), quanto magis pater et mater peccantes filios corripere tenentur? hoc præceptum haud dubie parentes strictius ligat, quam alios; et si filios peccantes corripere negligant, infensissimi sunt eorum hostes: *qui parcat virgæ, odit filium suum* (Prover. 13, 24). Non solum filios suos oderunt parentes hi qui nimia indulgentia eos nunquam castigant; etiam odisse dicuntur, qui in eis corripiendis parci, atque remissiores sunt; segnis enim amor qui natorum culpas pro earum gravitate punire renuit, est verum illorum odium. Quemadmodum filios vere amant parentes, qui eos per severam correptionem a via iniquitatis avertere nituntur, ita et eos vere oderunt qui prudentis correctionis defectu ad iniquitatis et perditionis viam illos declinare et perseverare permittunt: *qui parcat virgæ, odit filium suum*. O pater crudelis, filium te plurimum diligere arbitraris, quia illi placere studes, et quæcumque facit, sive bona illa sint, sive mala, approbas et laudas: jamvero talis tuus in filium amor, non amor, sed odium est: amares, si eum corriperes; et

quia eum corripere renuis, non amas, sed odio habes. Quia cum parcis virgæ, et peccantem filium non corripis, ei graviora perpetrandi scelera, omnibus se vitiiis addicendi, ac tandem infeliciter moriendi occasionem præbes; eumque quantum in te est, ad tartara ducis. O quam magnum illud parentum in filios odium! Plura dicam, ut parentes ad filios prudenter corripandos alliciam; nempe, quod si eos non corripiant, cum minus recte vivunt, et ad peccata declinant, non patres dicendi sunt, sed potius dæmonis ministri, qui simul cum eo filios ad infernum trahunt: *qui non corripuerint filios, eorum animas igni inextinguibili in infernum tradunt* (Origen. lib. 1 in Job.). Dei ministros vocat D. Paulus eos qui gladium gestant, ut peccantes corrigant: *Dei minister est vindicæ in iram ei qui malum agit* (Rom. 13, 4). Sicut autem ministri Dei sunt qui peccantes arguunt et corripiunt, ita et dæmonis ministri sunt parentes qui filios suos corripere nolunt: quia iis tamquam ministris suis utitur dæmon, ut filios eorum ad horrenda inferni supplicia ducat: *si minister Dei est, qui mala facientes in iram vindicet, diaboli proculdubio minister est, qui criminosos filios segniter palpat; minister est adversarii, qui perpetrantibus iniqua blanditur* (Petr. Dam. lib. 7, ep. 11). Filios ergo peccantes corripiant parentes, si ad eorum ruinam dæmonis ministri esse nolint.

Hac quidem ratione ad corripandos filios adduci debent parentes; nec minori vigilantia parentes debent peccantes filios corripere, ut sibimetipsis consulant. Si enim eos non corripiant, permittit Deus ut super ipsos multa veniant mala, utque miseris multis opprimantur. Videte, quid Heli sacerdotei acciderit. Duos senex ille habebat filios, qui gulosi, libidinosi, fures, blasphemæ, et impij erant: indulgens autem ille pater leni eos sermone et suavibus verbis monebat. O pueri, inquebat, multa de vobis mihi dicta audio; plurimi de vestra, vivendi ratione conquerrunt; criminum vestrorum fama undique diffusa est: Deum in pluribus offenditis, quo nihil pejus, quia si Deum adversum vos irritaveritis, non illum facile placabitis: eja, filii, abstinete a peccatis, et Domino servite. Nonne sufficere videntur

annosi et decrepiti illius senis monita? nonne satis est, quod filiis, quos percutere nequibat, quid vitare, quidque facere debeant suaviter dicat? certe non satis hoc fuit, nec muneri suo satisfecit ille pater: et ideo *eo quod nocerat indignè agere filios suos, et non corripuerit eos*, sacerdoti dignitate spoliatus fuit: duo ejus filii eodem die infeliciter obierunt, multaque alia mala et super eum, et super familiam ejus venerunt. Ecce quid accidere solet stultis et indulgentibus illis parentibus, qui peccantes liberos non acriter corripiunt: Deo, suoque muneri satisfacere credunt, modo peccantes filios quomodo cumque moneant: officio suo convenienter fungi arbitrantur, cum blando sermone et lenibus verbis eos ad declinandum a malo, et ad bonum faciendum hortantur. Cum autem animadvertunt hujusmodi monitis et hortationibus parum proficere in filiorum correctione, minæ etiam ac virgæ aliæque pœnæ adhibendæ ut ipsos a pravitate semita abducant, atque virtutem bonosque mores edoceant. Quibus mediis si uti negligent parentes ac virgæ parcant cum filiis pervicacibus, malis multis et ipsi, et tota eorum familia a Deo plectentur. Imo timere debent, ne in negligentia suæ pœnam subitanea morte pereant: cuius rei formidandum habemus exemplum in eodem Heli sacerdote, qui cum senio confectus, in sella sederet, *cecidi de sella retrorsum iuxta ostium, et fractis cervicibus mortuus est* (1. Reg. 4, 18). Si autem a sancto cardinali Petro Damiano quæras, cur tam dira morte præventus fuerit ille senex; respondet: *idcirco cervicibus effractis occubuit, quia peccantibus filiis clementer indulserat*. Heu! si Heli fere centenarius, viribus expertus, ac ita infirmus, ut vix incedere posset, si, inquam, senex ille tam dire punitur, quia filios non acerrime castigaverit; qua pœna digni sunt parentes qui filios et filias vitam ducentes scelestam, libidinosam, et impiam, aut nullo modo corrigunt, aut blandis solummodo verbis affantur, et suaviter moneant? hi certe morte digni sunt; et forte multi ex hi subitanea morte rapiuntur, quia filios debite corripere negligunt: *qui talia agunt, digni sunt morte; iisque, sicut et Heli, peccata filiorum impuntantur* (D. Tho. in c. 8, Ep. ad Rom.). O patres et matres, qui

filios peccantes non corripitis, timete, ne morte subitanea peccatis: corripite eos, ne subita et repentina morte rapiamini: atque eos etiam corripere debetis, ut æterna morte non intreatis: si enim eos debite non corripueritis, æternis inferni suppliciiis adjudicabimini. Videte, quid acciderit sacerdoti Heli, qui non libidinosus, non ebriosus, non alienorum detentor, non fur, nec alicujus sceleris erat reus, et cujus vita erat irreprehensibilis: tamen quia filios calcantes Dei legem non cum severitate corripuit, cum ipsis etiam jure punitus est, et grave subiit supplicium (Caesar. Arelat. hom. 15). Grave quidem subiit supplicium, non solum quia repentina morte occubuit, verum etiam quia, ut plurimi ex sanctis Patribus docent, æternis inferni tormentis adjudicatus est. Heli inquit S. Gregorius Nazianzenus, *pro filiorum iniquitate damnatus est*. Non quidem damnatus est, quia filios iniquos et scelerosos habuit: multi enim parentes pii et sancti perversos habuere filios, nec propterea damnati fuere: damnatus est pro filiorum iniquitate, quia cum Dei leges violarentur, *severius in illis ultus non est*. Sic loquitur S. Chrysostomus, qui homilia nona in caput primum Epistolæ ad Timotheum ait etiam damnatum fuisse Heli, eo quod filios non acriter reprehenderit, et severe non castigaverit: *propter filios perit: illos quippe cum acrius coercere debuisset, verbis tantum lenibus monuit: quocirca dum illis molestus esse severa increpatione recusat, et illos et seipsum una perdidit*.

Filiorum Heli gravia erant scelera, criminibus suis cum pertinacia adhererebant: et ideo ut sanarentur, non lenibus, sed acerrimis et asperimis egebant medicamentis: si post unam aut alteram monitionem in nequitia sua perseverassent, a sacris arceri, e templo expelli, sacerdotali dignitate spoliari, excommunicari, vel gravi alia poena plecti debebant: cum autem nimis indulgens pater eos blandis solummodo sermonibus monerit, ad æterna tartari tormenta condemnatus est. Heli, inquit S. Cæsarius Arelatensis, quia filios non severe corripuit, *nomen ejus de libro vita deletum est*: et S. Petrus Damianus, quis, ait, *Heli sacerdotem nesciat reprobum pro lenitate sua?*

Hou! si Heli sacerdos, qui populum Dei prudenter et laudabiliter rexerat, ex plurimorum sanctorum Patrum sententia, ob id solum damnatus est, quia peccantes filios debite non corripuit, nonne timere debet pater, qui filium præcepta Dei et Ecclesiæ violantem non corripit? nonne trepidare debet mater, quæ filiam non solum ab illicitis non arceat, quin contra, eam mundum amare, vanitatem sectari, et aliis multis quæ salutis contraria sunt incumbere docet? Timete patres et matres, ne negligentia, et nimia indulgentia, qua filiorum vestrorum palpatis et fovetis peccata, temporali et æterna morte plectamini. Hoc timete, et filios juxta a Deo præscriptæ correptionis modum corripite. Scio, non semper correptionem illam esse meliorem, quæ severior et acerbior; nunc suavis, nunc dura et acerba esse debet: cum suavis correptio ad meliorem vitæ frugem filios non adducit, acrius corripienti et plectendi sunt a parentibus; vel, ut ait S. Gregorius, *miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum*. Sicut enim in Arca Testamenti erant simul manna, et virga; ita et parentes, ut filios a peccatis revocent, primo manna, seu verbis lenibus, et paternis monitis uti debent: si hæc non prosint, virgam assumant, eosque severe corripiant et castigent necesse est. Hoc potissimum facere debent parentes, dum filii sunt adhuc parvuli; tunc graviter corripienti etiam cum in minima incidunt. O patres et matres, cum auditis pueros vestros levissimum quodque mendacium, vel minimum juramentum proferentes, corripite illos: cum videtis illos minus modeste et christiane se habentes, corripite illos: cum videtis ad eorum declinare consortium, a quibus nil boni discere possunt, corrigite illos, dum parvi sunt: quia si eos non corripatis, dum parvi sunt, inolescent cum eis vitia; et grandiores facti, vos, vestrasque correptiones irridebunt. Unde fiet quod igni inextinguibili in æternum tradentur, et forte vos simul cum ipsis ad inferni supplicia condemnabimini. Corripienti ergo a parentibus filii: *sed et ab ipsis erudiendi*.

II PARS.

Parentes debent filios erudire.

Nil homini gloriosius, nil ei utilius, quam quod puerorum eruditioni incumbat, quodque fidei, religionis, pietatis et divini cultus documentis eos imbuat: *quid enim majus quam animis moderari? quam adolescentulorum mores fingere?* (Chrys. ho. 60 in Matth.). Zeuxis, Apelles, et famosi alii pictores, magnam sibi apud homines famam et gloriam conciliarunt præclaris, quas in mortua tabula effinxerunt, imaginibus; jamvero, ut subdit S. Chrysostomus, *omni pictore, ac statuario, cæterisque ejusmodi excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret.* Gloriosum autem et excellentissimum hoc pueros erudiendi munus parentibus præcipue incumbit, qui eos fidei principia, christianæ religionis mysteria, præcepta divina, et alia ad salutem necessaria docere tenentur. De quo si dubitent, audiant hominum sapientissimum, qui cuilibet parenti ait: *filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum* (Eccl. 7, 25). Non vult Sapiens, ut parentes doceant filios saltare, potare, de inimicis vindictam sumere, et alia quæ mundi sunt facere: ast ut per se, vel per pios magistros, fidei rudimenta, vitæ christianæ leges, Dei cultum, modestiam in templo, in pauperes misericordiam, erga presbyteros reverentiam, et alia quæ Dei sunt, eos a teneris annis doceant. Puerorum animi sunt quasi terra virgo, quæ projectum semen, sive bonum, sive malum, facile recipit. Vel, ut ait Aristoteles, puerorum animus *est tabula rasa* et vacua, cui facile delineabis quod volueris: igitur summa cura invigilare debent parentes, ut nil mali filiorum animis ingeratur, et ut in eis pietatis, et virtutis lineamenta ducantur. O patres et matres, cavete ne quis in filiorum vestrorum animis quid turpe, scelerosum, et salutis eorum contrarium delincoet: in hac tabula virtutis et vitæ christianæ lineamenta pingite; do-

cete eos quæ Dei sunt, quæ salutis sunt; de Dei bonitate et justitia frequentiore sermonem cum ipsis habetote: Dei magnalia et præclara Sanctorum exempla eis crebro proponite; judiciorum Dei terrorem, et inferni supplicia eis sæpe obijcite; mendacii, blasphemiarum, impudicitiarum et omnis peccati malitiam atro eis colore depingite; judiciorum Dei, et suppliciorum inferni eis timorem incutite; omnia tandem quæ credenda, agenda, speranda, et vitanda sunt, ut christiane vivant, eos docete ab ipsis incunabulis: *filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.* De ursæ variis referunt auctores, quod partus suos rudes, informes, et vix ulla viventium lineamenta præferentes edat: in his foetibus e matris alvo recenter emissis vix adnotari possunt oculi, aures, pedes, aut aliqua animantis figura. Informem hanc carnem massam tanta arte et sollicitudine lambit mater, ut eam fingat, poliat, figuret, et ad animalis formam componat. Dum autem informes illos foetus lingit, nunc oculi, nunc aures, et nunc pedes apparent: unde ursæ eos iterum parturire videtur: et ideo *bis mater* vocari solet. O parentes, a bruto hoc animali filiorum vestrorum curam discite: *Ursæ,* inquit sanctus Ambrosius, *partus suos ad sui effingit similitudinem; tu filios tuos instituere similes tui non potes?* Cum vestros perperistis filios, rudes sunt, informes sunt, ignorantiam tenebris involuti sunt: ergo lingua, seu piis documentis ad pietatem, et ad vitam christianam formandi sunt. Hi pueri recens nati, oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; manus habent, et non palpant. Aut, ut congruentius loquar, nesciunt quid videant, quid audiant, quid palpant: parentes, cum filii rationis compotes esse incipiunt, eorum debent formare oculos, aures, et manus: *oculos,* ad contemplanda Dei opera: *aures,* ad audiendum libenter Dei verbum: *manus,* ad facienda ea omnia, quæ salutis sunt. Si tandem filios diligant, eos de omnibus christianam vitam spectantibus erudire debent: *qui parciit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit* (Prov. 13, 24). Aliquos videmus homines, qui equos suos nunc circumagere, nunc subsultim ingredi, nunc in

medio cursu gradum subito sistere, summa sollicitudine docent: quanto majori cura filios docere debent parentes, quomodo virtutis via incidendum, et a pessima peccati via declinandum? Alios videmus homines, qui canem sollicite docent erectum considerare, pede porrecto reverentiæ signa edere, non prius cibum sumere, quam pedes anteriores junxerit, et versus cœlum sustulerit: quanto accuratius parentes docere debent filios, quomodo manus jungant, flectant genua, signo se Crucis muniant, et alia Dei cultum spectantia faciant? Videamus alios, qui psittacos, picas, et alias hujusmodi aves docent, humanas aliquas voces exprimere: et ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, *in homines quodammodo mutantur aves, docenturque psittaci, et picæ humanas voces*: quanto majori sollicitudine patres et matres filios suos etiam adhuc balbutientes, fidei principia, et breves aliquas preces captivi eorum accommodatas edocere, eosque de necessariis ad salutem erudire debent? Hoc haud dubie facere debent parentes; quod si non agant, strictissimam Deo de filiorum eruditione rationem reddent. Hoc agere tenentur parentes; si autem id facere negligant, stolidos, turpis ignorantie tenebris involutos, et ad multa vitia proclives filios nutriunt: hoc agere tenentur, alioquin filiis viam ad infernum aptabunt. Optime enim assertit Clemens Alexandrinus, quod pia documenta quæ parentes liberis tradunt, *sunt breves et directæ viæ ad æternitatem*. Sicut autem filios ad cœlum ducunt, qui eos debite erudiunt, ita et eos ad tartara trahunt, qui de credendis et agendis illos erudire nolunt. Itaque, genitores, summa cura et sollicitudine filios erudite, quos Deus vobis dedit ac curæ vestræ commisit.

Pias plurimas imitamini matres, quæ hac in parte se toti orbi christiano mirabiles exhibuere. Nonne mirabilis extit Gersonis mater, quæ ut filium doctrinam christianam doceret, non eum jentare, vel comedere sinebat, quin prius flexis genibus, piis quibusdam interrogationibus respondisset, et a Deo omnium parente cibum comedendum humiliter petiisset? Nonne mirabilis fuit Alix, sancti Bernardi mater, quæ filios a teneris annis Deo et beatissime Virgini consecrabat; cumque ætate proveciores

fiebant, vulgaribus et minus exquisitis eos alobat cibus, ut illos carnis mortificationi assuefaceret: ac tandem tanta cum sollicitudine et prudentia illos erudiebat, et ad virtutis amorem excitabat, ut ex iis sex Deo in religione se consecraverint; ex quibus aliqui sanctorum fastis adscribi meruerunt? Nil dicam de pia sancti Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi matre: quæ eum ab ineunte ætate diris assuefaciebat jejuniis, et christiænæ perfectionis præceptis imbuebat. Nec silentio prætereunda Blancha regina, sancti Ludovici Francorum regis mater, quæ eum a puero peroptime erudit, eique peccati horrorem incutere non destitit dicens, illaque crebro iterans verba: filii, prius mortem obire elige quam peccare: mallem te mortuum cernere, quam scire, quod mortali quodam peccato animam tuam inquinaveris: quæ verba sancti hujus regis cordi ita infixæ sunt, ut nunquam mortaliter peccasse credatur. Has et alias multas his similes imitamini matres: filios piæ et christiane erudite. Quod ut melius fiat, pios etiam et eruditos habetote magistros, qui curæ vestræ participes fiant. Dixi, *pios*: nam præceptores, si pii non sint, pietatem filiis vestris non inspirabunt. Dixi etiam, *pios*: nam si impii, perversi et vitiosi sint, filios vestros iniquitatis et inferni viam docebunt. Nonne Leonidas, Alexandri Magni magister, in causa fuit, quod famosus ille princeps vino indulserit, et ebrius extiterit? Nonne Germaniæ pedagogi, tempore Lutheri, innumeros homines perverterunt? Nonne plures ad Lutheranam hæresim sectandam adduxerunt, quam omnia Ducis Saxonici, et Ducis Brandeburgensis edicta? nonne quotidiana experientia constat, quod præceptores qui pii sunt, virtutis amorem; et qui vitiosi dediti sunt, affectum ad vitia discipulis inserunt? præceptores sane sunt quasi canales, per quos virtutes vel vitia ad discipulos transeunt: ideo ad filios erudiendos assumite præceptores bene moratos, ut illos bonis moribus imbuant. Id præcipue velim ut quisque vestrum caveat, nempe quod filias hominibus erudiendas non committat. Dicere non audeo quæ incommoda, quæ peccata, et quæ scandala nonnumquam eveniant ex hoc quod filię magistris erudiendæ committantur.

Hæc taceo; at mihi credite: per vosmetipsos, quantum fieri poterit, filios vestros erudite, si autem ad hoc munus aliorum opera egeatis, pio magistro filios, et piæ magistræ filias erudiendas committite, ut recte, pie et sancte erudiantur. At filii a parentibus non solum sunt erudiendi; *verum et bonis exemplis ad bene vivendum excitandi.*

III PARS.

Parentes debent filios bonis exemplis fovere.

In morali philosophia tritum est hoc axioma, quod plus oculis, quam auribus credamus; quodque ad declinandum a malo, et ad bonum faciendum plus exempla, quam verba moveant. Quod probe noverat famosus ille Socrates, qui moralis philosophiæ pater vocari solet; cum enim advertisset Xenocratem discipulum suum verbis et exhortationibus suis ad bene vivendum non allici, eum hospitio recepit, ut videre posset quæ agebat magister, et exemplis ejus ad vitæ honestatem pertraheretur. Si qua vero vis exemplis inest, maximam habent parentum exempla respectu filiorum; pueri enim sunt quasi simiæ, illud agentes quod a parentibus fieri vident, eorumque actiones, sive bonas, sive malas imitantur, *innatum quippe a natura pueris est parentes imitari.* Hoc ipsa docet experientia, quod qualis pater, talis filius. Licet enim contrarium per extraordinariam Dei providentiam aliquando contingat; licet nonnunquam pater impius filios habeat sanctos, et mater impudica filias habeat virginitate claras, communiter tamen tales sunt filii, quales parentes eorum. Et ideo S. Ambrosius de Herodiade dixit, quod nonnisi impudica esse poterat, cum mater ejus impudica et adultera esset: *quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* Ideo etiam Ezechiel propheta ait, *sicut mater ita et filia ejus.* Unde circumferri solet vulgare illud effatum;

Insequitur leviter filia matris iter.

Ad quid autem autoritate probare satagimus id quod quotidiana docet experientia? plerumque enim videmus, quod tales sint filiorum, quales parentum mores; quodque ad eadem vitia proclives sint filii, ad quæ propensi sunt parentes. Si pater blasphemus, ebriosus et maledicus est, filii etiam blasphemii, ebriosi et maledici sunt; si mater est impudica, iracunda, et verbosa, impudicæ, iracundæ, et verbosæ sunt filiæ. Videant ergo patres et matres quanta cura invigilare debeant, ut nil mali coram filiis faciant, imovero eis virtutum exempla præbeant. Non satis est, o patres et matres, filiis dicere: orationi vacate, piorum librorum lectioni incumbite, coram altari Deo dicato genua flectite, concioni adstate, mementote vos Christianos esse, et christianam vobis vitam ducendam, christianos mores induendos ac tenendos; illos ad hæc peragenda vestro exemplo constanter oportet allicere, quia facilius exemplis, quam verbis filii ad virtutem excitantur; et ut ait moralis Philosophus, *longum iter per præcepta, breve et efficax per exempla.* Præclare dixit S. Cyprianus (de dupl. Mart.), *efficacius est vitæ, quam linguæ testimonium.* Si filio dicat pater, adi templum, non tam libenter adibit, quam si patrem templum adeuntem videat; si filio dicat, abstine a blasphemia, ab ebrietate, et ab aliis vitiis; non tam facile et accurate abstinerebit, quam si parentem ab iis abstinere cernat; ut enim subdit S. Cyprianus *habent et opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua.* Parentum quidem opera suam habent linguam, suamque facundiam, qua filiis suadetur, ut id faciant, quod et parentes agunt. Cum parentes pauperibus eleemosynas erogant, idem est ac si filiis dicant, o filii, in pauperes vos liberales exhibete; cum parentes loca sacra adeunt, peccata crebro confitentur, angustissimo Missæ sacrificio reverenter intersunt, et alia bona opera coram filiis faciunt: hæc opera suam linguam habent, et cum parentes hæc faciunt, idem est ac si hæc eadem a filiis perficienda dicant, et efficaciter dicant. Econtra etiam, si parentes in filiorum conspectu blasphemias proferant, irascantur, ludant, aut aliud quoddam scelerosum agant: hæc

opera suam habent linguam, quæ filiis suadet, ut parentes imitentur, et eadem mala faciant, quæ ab iis fieri vident. Ob eam rem S. Hieronymus *ad Letam* de filia ejus educatione scribens, illam in primis hortatur, ut coram illa nil mali faciat: *nihil in te et in patre videat, quod si fecerit, peccet*. Quasi dicat: ne coram filia blasphemem, ne mentiaris; gesticulationes minus honestas, vel quidquam aliud facias, quo ad peccandum allici possit. Cuius rationem subdit, dicens: *mementote vos parentes virginis magis eam exemplis docere posse, quam voce* (1). Idem dico vobis, o patres et matres, si filios recte instituere velitis, omnium virtutum exemplis eis præluere oportet. Si eos sobrios esse cupiatis, sobrii estote et vos: si modestos esse velitis, et vos illis modestos exhibete si eos nec blasphemos, nec maledicos, nec mendaces esse desideretis, abstinete et vos a blasphemis, detractionibus et mendaciis: eos tandem bonorum

(1) Perpulcra sunt, quæ habet Doctor maximus hæc de re documenta in eadem epistola ad Letam; cunque ad praxim valde videantur utilia præsertim pro filiarum educatione, opportunitatem ducimus præcipua ex iis decrepta hic subjicere. « Sic erudienda est anima quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat; cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit setas lasciva puerorum: ipse puella et pedissequæ a secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant... Cavendum in primis ne oderit studia... Ipsa nomina per quæ consenscit panlatim verba contexere non sint fortuita sed certa et coæcervata ex industria, prophetarum videlicet et apostolorum... Tibi est providendum ne ineptis blanditiis feminarum dimidiata dicere verba consuescat... ne discat in tenero quod ei postea didiscendum est... difficulter eraditur quod rudes animi peribiberunt... Si sollicita provides ne filia percutiatur a vipera, cur non eadem cura provideas ne feriatur a malleo universæ terræ? Ne bilat de aureo calice Babylonis? Ne egrediatur cum Dina et velit videre filios regionis alienæ?.. Postquam grandiuscula esse coeperit et in exemplum sponsi sui crescere sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines, pergat ad templum veri Patris cum parentibus suis... Te habeat magistram, te rudis miretur infantia. Nusquam absque te procedat in publicum. Basilicas martyrum et ecclesias sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus circinnatus ardeat. Nolo de ancillis suis aliquam plus diligit, cujus crebro auribus insurreat. Quidquid uni loquitur, hoc omnes sciant. Placeat ei comes non compta,

operum exemplis educeat, nilque coram ipsis faciat, quod eos ad peccatum allicere possit. Polyplus, teste Plutarcho, est piscis maritimus, qui rupibus inhærere solet, ibique suos mutat colores juxta varietatem eorum quæ illi objiciuntur. Idem quodammodo dici potest de pueris, qui quasi polypi colorem mutant, fuintque parentibus concolores, seu iisdem virtutibus, iisdemque vitiis adhærent, quibus adhærere vident parentes. Si pater sit gulosus, libidinosus, et vite licentiori deditus, tales erunt et filii: si mater sit inconstans, pertinax, morosa aut impudica, talis erit et filia. E contra etiam, si parentes charitate, humilitate, patientia et aliis virtutibus sint præditi; iisdem et virtutibus filii fulgebunt.

Docent Philosophi, materiam primam ex se ad quascumque formas esse indifferentem, eamque nunc ligni, nunc ferri, nunc ignis, et nunc alterius rei formam recipere juxta exigentiam

neque formosa atque lasciva... Præponatur ei probe fidei ac morum et pudicitie virgo veterana, quæ illam doceat et assuescat exemplo ad orationes; mane hymnos canere... accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breve videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Discat et lanam facere, tenere colum (*nobilem puellam instituit*), ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere... Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus non quibus vestita corpora nudentur... Si quando ad suburbanam pergis, domi filiam non relinquant; nesciat sine te nec possit vivere, et cum sola fuerit pertinescat. Non habeat colloquia secularium et malarum virginum contubernia... Mihi omnino in adulta virgine lavaera (quæ sunt in balneis) displicent, que se ipsam debet erubescere et nudam videre non posse... Respondebis: quomodo hæc omnia mulier secularis custodire poterit? Noli ergo subire onus quod ferre non potes; sed postquam ablataveris eam (*intellige post annos infantia plus minusve*), redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ et cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio: sit inter virginum choro; jurare non discat, mentiri sacrilegium putet; nesciat seculum, vivat angelice; sit in carne sine carne... et ut cetera taceam certe te liberet servandi difficultate et custodie periculo. Melius est desiderare absentem quam parere ad singula; quid loquatur, cum quo loquatur, cui annuat, quem libenter aspiciat. Oh si hujusmodi documenta a matribus noscerentur et probe servarentur, quot familiarum bona, quot ipsi parentibus lacrymæ ac mæores minuerentur!

agentium naturalium, vel juxta varias dispositiones quæ ab agentibus naturalibus in subjectis ponuntur. Pueri autem in conspectu parentum sunt quasi materia prima: quia omnes impressiones, omnesque formas recipiunt, quas in parentibus vident. Parentes superbi, iracundi et avari pueros ad superbiam, iram, et avaritiam instruunt: e converso parentes pietate et virtute clari filios etiam ad pietatem virtutemque promouent. Ideo summopere parentibus cavendum ne quid mali coram filiis agant, iisque bonorum operum exemplis præluceant; idque præstare necesse est, ne in maledictionem a Christo in scandalum dantes prolatam incurrant. *Væ homini illi, per quem scandalum venit* (Matth. 18), inquit Salvator. *Væ tibi, pater, qui pravo tuo exemplo filios scandalizas, et ad ebrietatem, libidinem, aliaque vitia allicis: væ tibi, mater superba, impudica et iracunda, quæ pravo hoc exemplo filias scandalizas, et ad superbiam, libidinem, et iracundiam provocas; væ vobis, parentes, qui filiis vestris vitiorum exhibetis exempla. Scitote, quod melius, vobisque utilius esset in profundum maris projici, quam pravis exemplis filios scandalizare, et ad peccata pertrahere: qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Plura non dicam, ut parentes ad virtutum exempla filiis exhibenda inducam: tantum per transcennam eos monitos velim, ut filios consortio illorum immisceri non sinant, quorum vita est nequam, et quorum exemplo ad vitia allici possunt. Vis ut filius tuus pius sit et castus? pius et castus assume præceptores. Vis ut filius ad ebrietatem, libidinem et alia vitia non declinet? ejice famulos ebriosos, libidinosos, et aliis vitiis deditos. Vis ut filii licentiori vite non indulgeant? ne sinas eos cum illis versari, qui omni cum libertate variis se criminibus fodare solent: fac tandem ut filii tui peccantium societatem, tanquam pestem contagiosam fugiant: *pueri contagia debent fugere peccantium* (Ambr. in in Ps. 128, ser. 2). Præceptor ille, qui vino se ingurgitare solet, est pestis quam fugere debet filius: servus ille qui sæ-

pissime in blasphemias erumpit, pestis est, a qua declinare debet. Pestis est ancilla illa impudica, pestes sunt hi et illi nebulones. Propterea cura, ut illos omnes, veluti pestem contagiosam, fugiant filii tui; ne pravo eorum exemplo, tanquam contagio ad peccandum pertrahantur. Mementote, quod cum bonis bonus et cum malis malus quisque evadit: *cum bono bonus eris, et cum perverso perverseris*: non ergo sufficit quod filiis virtutum exempla præbeat, curandum quoque ut cum iis versentur, quorum exemplo ad virtutem sectandam alliciantur. Toti huic concioni finem faciam, adducendo præclara hæc S. Chrysostomi verba, dicentis: *Magnum habemus, pretiosumque depositum filios*. Quasi dicat: o patres et matres, filios Deus, tanquam depositum magnum simul et pretiosum, curæ vestræ commisit, hujusque depositi strictam ei rationem estis reddituri. Nil non molitur dæmon, ut hoc vobis rapiat depositum; omnem movet lapidem, ut filios ad peccatum et ad infernum trahat. Ut hujus depositi Deo rationem reddere valeatis, illudque a vobis dæmon non auferat, magna sollicitudine custodiendum est: *ingenti illos servemus cura, ne fur eos nobis astutus auferat*. Religiose ergo hoc depositum custodite, filios debite educate, corripite illos cum ad peccata declinant, de credendis et agendis eos erudite, bonisque eos fovete exemplis: sicque eos Deo et celo dignos facietis; ubi cum illis in æternum regnabit. *Amen.*

FERIA V POST DOMINICAM SECUNDAM.

DE IGNE INFERNI.

Crucior in hac flamma (Luc. 16).

Viri sancti, dum in hoc mundo viverent, mente et spiritu in infernum sæpe descendebant, ut tartarei ignis vim, potentiam et ardores serio contemplerentur. Terribilem hunc ignem in meditationum suarum materiam crebro assumebant, probe